



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio CV. De subjecto peccatorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

actualem malitiæ requiri, saltem per modum suspicionis aut dubii: & ad mortale quidem ejusmodi esse debet hæc advertentia, ut sit plena & perfecta, seu expedita, ac deliberata, ob gravitatem scilicet rei, esto veniale peccatum cum minore, seu semiplena advertentiâ committi possit, cum cogitatione scilicet quadam imperfectâ, qualis in semidormientibus reperiri solet. Hæc verò advertentia non necessariò esse debet malitiæ formalis vel moralis sed solum Physicæ & objectivæ, seu quod objectum illud sit aliquo modo disconveniens naturæ rationali, ut supra in materiâ de actibus humanis fatius est declaratum.

Major ad peccatum mortale requiritur advertentia, quam ad veniale.

III. *Quicquid est peccati, debet esse voluntarium.*

IV. *Dari necessarium debet advertentia aliqua mali in objecto, saltem per modum dubii.*

V. *Qui nullam habet mali suspensionem, non potest advertere.*

Ratio Conclusionis unica & sufficiens est, quia quicquid est peccatum, esse debet voluntarium sub eâ ratione, sub quâ est peccatum, sed malitia nullo modo cognita nequit esse voluntaria, ergo nec refundere potest malitiam moralem in actum.

Dixi requiri cognitionem malitiæ saltem per modum dubii: si enim nullo modo in mentem veniat, nec ulla suspicio mali, eodem planè modo se habet homo ille respectu hujus objecti, ac si malum non esset: certè quicquid sit objectum in se, respectu operantis in hoc casu non est malum. Imò nec potest quis se ad considerandam objecti illius malitiam applicare, si nulla ei in mentem veniat eius suspicio: ut autem actus sit malus, debet quis liberè & humano more applicare se posse ad considerandam illius malitiam, quod tamen facere nequit, nisi aliquid habeat illius principium; hoc verò non habet, si nulla planè sit malitiæ in objecto illo contentæ advertentia.

Respondet Lorca & alii, qui contrariam tenent sententiam, ad peccatum sufficere quòd quis potuerit advertere, unde, inquirunt, si non advertat, sibi imputet. Sed contra primò, jam enim ostensum est, si nullam planè habuerit mali suspensionem, non potuisse eum advertere. Contra secundò, nam

si velint ipsum, quando actum elicit esse voluntariè distractum, vel aliam ejusmodi causam posuisse, ut advertere tunc malitiam non possit, non erit actus ille malus in se, sed solum in causâ; & in hoc consistit peccatum inadvertentiæ, quando scilicet advertit periculum oblivionis, & nihilominus pergit. Deinde dico, hic non committi peccatum sine actuali aliquâ advertentiâ malitiæ, non quidem quando actum exercet, sed pro aliquo antecedente, quod tamen non sufficit, ut hic actus quando exercetur, sit peccatum.

In quo consistit peccatum inadvertentiæ.

Plena itaque advertentia requiritur ad peccatum mortale, licet non semper recordentur homines se ejusmodi considerationem habuisse, vel ob consuetudinem, ab assuetis enim non fit passio, & quando cum magnâ facilitate aliquid facimus, non adhibendo peculiarem conatum, facile postea obliviscimur, vel etiam quia advertentiâ quamvis deliberata, fuit tamen valde tenuis; aliud namque est advertere, aliud advertere se advertere.

VI. *Hominis non recordantur frequentius se in peccatis advertentiam habere.*

Quæ etiam sunt causæ, cur subinde homines peccent sine remorsu, vel si eum habuerint, facile illius obliviscantur: non tamen censetur peccatum ex malitiâ, nisi quando cognitio malitiæ est valde clara, imò & cum quodam erga illam affectu, vel etiam cum præcepti aut legislatoris quodam quasi contemptu. Et per hæc solvuntur omnia quæ opponunt adversarii, quos in re puto non aliud à nobis sentire.

VII. *Quid requiritur ad peccatum ex malitiâ.*

Quo modo verò in peccatis dicatur intervenire error vel ignorantia seu inadvertentia, juxta commune illud dictum Philosophorum, *Omnis peccans est ignorans*, dixi in materiâ de Angelis cum de peccato Angelorum. De ignorantia etiam seu inadvertentiâ antecedente, concomitante & consequente, quæ hic similiter recurrit, dictum fuisse est in materiâ de actibus humanis.

VIII. *Quis sensus omnium peccatis sit ignorantia.*

DISPUTATIO CV.

De subiecto peccatorum.

SUBJECTUM Peccatorum est duplex, remotum & proximum: hoc de variis animæ potentiis procedit, de quo agemus Sectione secundâ. De subiecto verò peccati remoto, quamvis hinc inde occasione datâ, in diversis Theologiæ partibus sparsim agi soleat, hinc tamen in gratiam studiosi Lectoris varia, quæ ad rem hanc spectant, congeram, ut quisquis hæc videre desiderat, isthic ea in unum locum collecta cernat, nec opus ei sit ad illa investiganda diversas Theologiæ materias percurrere.

SECTIO PRIMA.

De subiecto remoto peccatorum.

I. *Varia subiecta remota peccatorum proponit S. Thomas.*



ANCTUS Thomas q. 89. art. 3. 4. 5. & 6. difficultatem circa varia hujuscemodi subiecta movet: disputat verò S. Doctor de subiecto tantum peccatorum venialium, ut an reperiri potuerint in Angelis, in homine adhuc in statu innocentie degente, in

infidelibus, & in eo qui originale tantummodo peccatum haberet. Nos latiori modo rem tractabimus, nec de venialis tantum, sed mortalis etiam peccati subiecto inquiremus.

Prima Conclusio: beati nullius omnino peccati nec mortalis nec venialis subiectum esse possunt. Ratio est: nam visio & amor beatificus, quo Deum super omnia diligunt, & ardentissimè ad eum amandum rapiuntur, peccatum omne, etiam minimum excludunt. Deinde Beatitudo est status perfectissimus, ex bonorum omnium complexione

II. *Beati nullius peccati subiectum esse possunt.*

plexione consistens, & consequenter mala omnia, præcipueque peccata excludens. Hæc obiter in præfenti: qui fusiùs rem hæc discussam videre cupit, consulat Disp. 84. sect. 5. & 6.

III. Hinc à fortiori constat, sanctissimam Christi Domini humanitatem nullo modo esse posse peccati, etiam levisissimi subjectum, utpote quæ non visionem tantum Dei & amorem beatificum habuit longè perfectissimum, sed insuper per unionem ad verbum deificata fuit, ut loquuntur Patres, sicque ab omni etiam umbrâ peccati, peccandi que potentiâ remotissima, ut in materiâ de Incarnatione latius Deo dante declarabitur.

IV. Secunda Conclusio: qui peccare potest mortaliter potest etiam peccare venialiter, quantum ad dispositionem internam & principia intrinseca. Ratio est: plus enim ad peccatum mortale requiritur quàm ad veniale, pleniorque deliberatio, & perfectior objecti cognitio. Deinde, qui potest magnum furtum committere, committere potest parvum, sicut etiam qui mendacium perniciosum dicere potest, potest jocosum aut officiosum.

Unde & Angeli naturâ suâ peccare potuerunt venialiter, saltem ex parvitate materiæ, qualis esset levis aliqua detractio, aut injustitia, vel mendacium. Videatur Disp. 76. sect. 2. & Disp. 79. sect. item secundâ, ubi plura hæc de re sunt dicta. Utrum autem peccare etiam leviter potuerint Angeli ex indeliberatione, dissident Theologi: Halensis 2. p. q. 98. memb. 4. art. 3. Cajet. 1. 2. q. 89. art. 4. Valquez ibidem, & multò communior sententia negat: Salas tamen hic, tract. 13. D. 17. & Valentia q. 19. p. 1. existimant peccata etiam venialia ex actibus indeliberatis cadere posse in Angelos. Quod de Angelis dixi, dici similiter debet de homine in statu innocentia, de quo pluribus agetur infra.

V. Tertia Conclusio: fieri nihilominus econtrariò potest, imò de facto ita sæpè accidit, ut quis pro aliquo tempore peccare possit venialiter, qui tamen non potest peccare mortaliter. Id verò duobus modis contingit, vel ex peculiari Dei providentiâ, vel etiam planè naturaliter, & ex principiis intrinsecis. Prima pars constat in Apostolis, qui confirmati erant in gratiâ, sicque per singularem Dei protectionem ab omni mortali peccato exempti; qui tamen peccare potuerunt venialiter.

VI. Secunda verò conclusionis pars, quòd scilicet sæpè contingat, ut quis merè naturaliter, & ex principiis intrinsecis peccare possit venialiter, qui tamen non potest peccare mortaliter, meo iudicio ostenditur in pueris primò jam ad rationis usum venientibus, his namque priùs exigua lux oritur quàm plena & perfecta: dispositiones quippe paulatim in iis, & successivè formantur, cumque perfectiores ad actum perfectum requirantur, quàm ad imperfectum, anima pueri ad illum priùs quàm ad hunc disponitur. In hac ergo ætatis aurorâ, & quodam, ut ita dicam, rationis crepusculo, non cæci quidem, sed cæcutientes adhuc pueri objectorum quæ iis quoquo modo obversantur, malitiam planè non penetrant, sicque imperfectè solùm circa illa operantur.

Quod de principio vitæ dixi, idem existimo dici posse de fine, & de animam agentibus. Unde puto, ut matutinum, ita & vespertinum crepusculum in hominibus reperiri posse, eosque morti proximos, mortalis priùs quàm venialis peccati interdum esse incapaces: dispositiones siquidem ut paulatim crescunt, ita paulatim decre-

scunt, sicque in fine etiam vitæ sufficientes esse possunt ad imperfectam objectorum cognitionem, quando non sunt sufficientes ad perfectam.

Quod de pueris dixi, hoc de senibus quibusdam bis pueris, nempe præ ætate jam prope delirantibus videtur dici posse. Imò non improbabile mihi videtur, dispositiones illas imperfectas, quas in pueris ante plenû rationis usum reperiri diximus, quæque ad perfectam objecti cognitionem, & ad peccatum mortale non sufficiunt, sed tantum ad veniale; non improbabile, inquam, mihi est hujuscemodi dispositiones in quibusdam totâ vitâ manere posse, si principia merè intrinseca spectentur. Addo, quæ de pueris dicta sunt, applicari etiam iis posse, qui primùm è somno evigilant: item semiebrui & vehemente interdum passione subitò abreptis; hi siquidem venialiter nonnunquam peccant, quando tamen præ defectu deliberationis peccare nequeunt mortaliter.

SECTIO SECUNDA.

An cum solo originali stare possit peccatum veniale.

HÆc etiam quæstio ad subjectum peccatorum pertinet. Difficultas ergo est utrum is qui in solo originali peccato existit, peccare possit venialiter: qua de re non levis est inter Theologos controversia. Negativam partem acriter defendit tota Thomistarum schola: Cajet. hic, q. 89. art. 6. Zumel ibidem, S. Antoninus 1. p. tit. 10. cap. 1. & tit. 13. cap. 2. Capreolus in 4. dist. 16. q. 1. art. 3. & in 2. dist. 40. art. 3. Victoria 2. p. relect. ultim. num. 11. Sotus lib. 2. de just. q. 3. art. 10. Canus, Medina, & alii, quos etiam sequitur Abulensis to. 7. in Matthæi cap. 25. q. 739. videturque mens S. Thomæ 1. 2. q. 89. art. 6.

Pars tamen affirmativa multò est inter auctores communior: eam tenet Halensis 2. p. q. 124. memb. 9. S. Bonaventura in 4. dist. 21. art. 1. q. 1. Durandus in 4. dist. 4. q. 7. Gabriel in 4. dist. 2. r. q. 1. Richardus in 2. dist. 42. art. 2. q. 2. ad 5. Suarez 3. p. to. 4. disp. 11. sect. 2. num. 14. Valquez hic, Disp. 149. cap. 2. Valentia hic, q. 19. punct. 3. Salas 1. 2. Disp. 18. sect. 2. & 9. Azor tom. 1. lib. 4. cap. 10. q. 2. denique adeo frequenter ab antiquis docebatur hæc opinio ut Victoria citatus & Medina, quamvis teneant contrarium, hanc tamen fateantur fuisse tunc communem sententiam.

Probabilius itaque mihi videtur, posse veniale peccatum reperiri cum solo originali. Ratio est, nam ut rectè Suarez citatus, incredibile planè videtur, puerum non baptizatum, ad usum rationis pervenientem, primo statim instanti aut iustificari, aut peccare mortaliter, neque enim necessarium est, ut causæ omnes, vel ad justificationem vel peccatum mortale admittendum requisitæ, tunc conjungantur.

Confirmatur: contingere namque potest, ut id quod illo instanti ei primò occurrit, sit materia moralis mala, sed non mortaliter, objectum scilicet aliquod leve, puta verbum otiosum, vel parvum furtum, aut aliud simile: quid ergo vertat eum; objectum illud tunc amplecti, & peccare venialiter. Confirmatur secundò; quæ enim necessaria inter hæc peccata subordinatio, ita ut mortale ante committi debeat quàm veniale: imò contrarium potius dici deberet; veniale siquidem peccatum

VIII. Senes interdum præ ætate eodem loco esse videtur, quo pueri.

Quid de semiebrui, & somno evigilantibus dicendum.

I. Possitne venialiter peccare, qui solo originali peccatum originale.

II. Communis sententia docet posse veniale peccatum committi cum solo originali.

III. Potest quædam habere originale peccatum, committere peccatum veniale.

IV. Objectum venialiter malum potest primò occurrere.

Facilius committitur peccatum veniale, quam mortale.

peccatum multò facilius admittitur quam mortale, & ut dici solet, nemo repente fit pessimus. Accedit quod superiore sectione diximus, pueros scilicet ad usum rationis venientes, ob successivam organi dispositionem, prius imperfectam circa objecta omnia habere cognitionem, & sufficientem ad veniale peccatum, quam perfectam, & sufficientem ad mortale. Unde, licet primo exiguae illius lucis instanti objectum iis, etiam mortaliter malum occurreret, sicut tamen volendo illud ante omnem rationis usum non omnino peccabunt, ita idem nunc volendo, non peccant mortaliter, sed tantum venialiter, ob cognitionis imperfectionem.

V.
Obj. Sequi hominem ob scilum veniale peccatum punitur.

Dices: si quis ex hac vita decedat habens peccatum aliquod veniale cum solo originali conjunctum, peccatum illud quoad culpam nunquam remitteretur, & consequenter nec quoad poenam; ergo hic homo in aeternum poenam sensus ob veniale peccatum puniretur, idque in inferno damnatorum, cum nullus alius locus sit aeternae poenae sensus assignatus. Hoc est fundamentum contrariae sententiae, propter quod illius auctores affirmant non posse veniale peccatum cum solo originali in quoquam reperiri.

VI.
Variis circa poenam hinc peccato veniali debitam respondentis modi.

Paludanus in 4. Dist. 16. q. 1. art. 1. num. 22. & 23. admittens posse hominem in peccato originali cum solo veniali ex hac vita decedere, dicere videtur peccatum hoc veniale per actum naturalem contritionis, vel dilectionis Dei super omnia tolli primo instanti separationis animae à corpore, sicut Theologi aliqui in illo qui in gratia existens moritur cum peccato veniali, dicunt peccatum hoc primo post mortem instanti per actum contritionis aut amoris Dei supernaturalis auferri, eodem quippe modo se ille habere videtur quoad felicitatem naturalem eo gradu habendam quo eam habent pueri in originali decedentes, quo is, qui in gratia moritur, se se habet ad felicitatem supernaturalem.

Primum est, hoc peccatum veniale post mortem tolli.

VII.
Concedunt aliqui hunc hominem levi poenam semper puniendum.

Halensis admittere videtur sequelam, illud scilicet veniale peccatum ratione conjunctionis cum originali perpetuò duraturum, ac proinde levi aliqua poena semper puniendum. Alii verò addunt hunc hominem praedictam illam levem poenam in ipso inferno damnatorum perpetuò passurum. Hoc tamen nullo modo videtur admittendum; nec enim verisimile est eum qui Deum nunquam graviter offendit, in loco diabolo & angelis ejus parato puniendum. Si quis ergo hanc Halensis sententiam sequi velit, dicere poterit hominem illum in ipso limbo puerorum levi aliqua tristitia semper hoc nomine afficiendum.

VIII.
Ad Dei providentiam spectat, ut homo ille in hoc statu non moriatur.

Tertiò dici potest, sicut contrariae sententiae auctores asserunt, ad divinam providentiam spectare, ut eum qui est in peccato originali non prius patiat peccare venialiter, quam peccaverit mortaliter: dici, inquam, in nostrâ sententia potest, ad eandem providentiam spectare, ut, Deo ita disponente, nunquam in eo statu moriatur. Deinde sicut nonnulli asserunt, quamvis peccatum veniale conjunctum cum mortali nunquam in inferno remittatur quoad culpam, poenam tamen illius post tempus cessare, tunc scilicet quando tantum passus est, quantum peccatum illud merebatur, sicque etiam non possit hic in inferno pro veniali illo satisfacere, posse tamen satisfacere: idem de veniali dici potest conjuncto cum originali, quicumque denum sit locus in quo punitur.

IX.
Obj. dari praecipuum

Dices secundò: homo primo instanti usus rationis tenetur sub mortali scilicet ad Deum per actum

dilectionis Dei super omnia convertere: quod si faciat, justificabitur, sicque tollitur peccatum originale; si non faciat, peccabit mortaliter; ergo peccatum veniale reperiri nunquam potest cum solo originali: ita Thomistae omnes, videturque expressa Divi Thomae sententia.

Hoc tamen admodum videtur difficile: primò quia nullibi constat de ejusmodi praecipito: secundò, licet enim esset, posset tamen puer illud invincibiliter ignorare: tertio, facile objectis sensibilibus, quibus ab incunabilis assuevit, distrahi illo instanti puer potest, quo minus hac de cogitet, sicque circa unum ex his objectis peccare venialiter: quarto, quo pacto sciet puer quodnam sit primum instans usus rationis: quinto, quis unquam recordatur se primo instanti hoc fecisse, aut deliberatè omisisse: sexto, nam ut sectione praecedente ostendi, datur tempus aliquod imperfecti usus rationis, in quo nequit puer peccare mortaliter, sed tantum venialiter, ob imperfectam scilicet organi dispositionem, & actuum perfectorum incapacitatem: septimò, qui graviter Deum actuali peccato offendit, non tenetur statim post lapsum se ad Deum convertere, cum tamen non minus Deo sit obstrictus. Haec, & alia praedictam opinionem maximè reddunt difficilem. Dicendum itaque cum communi Doctorum sententia nullum dari hujusmodi praecipitum de dilectione Dei primo rationis instanti habendâ, ac proinde nihil obistere quo minus possit dari peccatum veniale cum solo originali conjunctum.

diligenti Deum primo rationis instanti.

X.
De hujusmodi praecipito delectio. nis Dei super omnianulli bi constat.

Ex variis capitulis ostenditur praecipitum diligendi Deum illi instanti non dari.

SECTIO TERTIA.

In quibus anima potentius reperiantur peccata.

QUÆDAM hac de re dicta sunt suprâ, Disp. 99. sect. secundâ. Etiam si ergo peccatum in solâ voluntate existat ut in causâ peccante, seu praecipuâ radice movente, ut aiunt (quo sensu S. Thomas hic q. 74. art. 2. ad primum & tertium negat in potentiis externis seu sensibus reperiri peccatum) in omnibus tamen iis membris & potentiis quodammodo reperitur, quæ voluntati ita subjiciuntur ut sit in illius potestate eas applicare ad operandum, vel etiam ab operatione amovere, ut in intellectu, appetitu, sensibus etiam externis, imò ipsis membris, oculis exempli gratiâ, manibus, & reliquis, quæ sunt instrumenta peccandi. Unde & has operationes aperire debent homines in confessione.

I.
In solâ voluntate existit peccatum.

In aliis potentibus aliquo modo reperitur.

Licet verò in hoc sit paritas inter potentiam nutritivam & sensus externos, quod & hi & illa, ubi semel applicantur, agant necessariò, actio tamen nutritiva non est peccatum, sicut actiones sensuum, sed effectus tantum peccati, cum non sit in potestate voluntatis quovis instanti illam impedire, sed applicatâ semel materiâ, operatur postea potentia nutritiva omnino necessariò etiam contradicente voluntate; at verò voluntas quocunque tempore potest sensus externos ab agendo retrahere, vel impedire, etiam primo instanti, quod non contingit in potentia nutritivâ, nequidem quoad primum instans operationis, quod nunquam est, nisi aliquantulum post materiâ applicationem.

II.
Differentia quoad rationem subiecti peccatorum inter potentiam nutritivam, & sensus externos.

Dixi peccatum esse in solâ voluntate, ut in causâ peccante, unde sine aliquo consensu vel operatione illius, nullum in aliis potentiis esse potest pecca-

III.

Concupiscentia seu appetitus sensitivus hic in nobis non est peccatum.

peccatum. Quare falsum est quod docent nostri temporis sectarii, ut refert Bellarminus lib. 5. de amissione gratiae cap. 5. & Tannerus hic, d. 4. q. 8. dub. 3. nempe & ipsam concupiscentiam, seu facultatem appetitus sensitivi jam corruptam, prout remanet post justificationem, & omnes ejus motus inordinatos, quantumvis involuntarios, & libertatis expertes, esse peccata. Hoc inquam falsum est, & in Concilio Tridentino sessione quinta, num. quinto damnatum: imò per se constat esse peccatum à ratione alienum.

IV. In appetitu sensitivo non est libertas sufficiens ad peccatum veniale.

Falsum etiam est quod affirmat Cajetanus, appetitum scilicet ex se habere libertatem sufficientem ad peccatum veniale. Quod similiter ex eodem loco Concilii Tridentini jam citati refellitur; sicut concupiscentia noceret renatis, etiam non consentientibus, & homines vel in somno peccarent, cum non minus perfectae tunc sint operationes appetitus, quam in vigilia.

V. Motus primus primi esse inquitur peccata.

Sunt ergo aliqui sensuati motus prorsus involuntarii, qui motus primo primi vocantur, plane praevenientes rationem & voluntatem, & hi nec sunt nec esse possunt peccata. Alii sunt qui vocantur à Theologis secundo primi, nempe tenuem saltem aliquam rationis advertentiam consequentes. Tertio tandem sunt motus cum plena advertentia, & de his quid sentiant Theologi modicemus. Progressus itaque in peccatis committendis plerumque per dictos tres gradus procedit, vel in motibus voluntatis, vel appetitus, sicque prius frequenter committitur veniale peccatum, quam mortale. Videantur Auctores citati, ubi latè doctrinam catholicam contra haereticos eam impetantes propugnant.

Sapè prius committitur veniale peccatum, quam mortale.

V. Motus primum appetitus quo patitur tenetur quis reprimere.

Quæres, utrum si in se plenè advertat quis motum aliquem pravum appetitus, peccet non cum reprimendo. Respondetur, si sit periculum consensus peccati: ita communis Theologorum sententia, cum secundum omnes sit peccatum. exponere se manifesto periculo graviter peccandi. Interdum tamen hoc non obstante excusari cum posse à peccato docet Sanchez lib. 1. in decal. cap. 8. num. tertio.

VI. Consentit illi qui non esse peccatum, saltem grave, non reprimere motum primum.

Si verò absit periculum consensus, aut alterius effectus mali secuturi, non esse peccatum, saltem mortale, hujusmodi motus non reprimere censent aliqui: ita Lorca hic, d. 28. memb. 2. Cajetanus verbo delectatio, & probabile existimat Sanchez lib. 9. de matrimonio, cap. 45. num. 25. & lib. 1. in decalogum cap. 2. num. 13. citans pro eodem S. Thomam, S. Bonaventuram, & alios multos: idem sentit Toletus lib. 5. summae cap. 14. num. 5. eandem etiam sententiam ut probabilem tenet Filliucius tract. 21. cap. 8. num. 284. & alii.

VII. Contraria sententia communior est. & in praxi tenenda.

Contraria tamen sententia est communior, & in praxi tenenda, ita Valentia 1. 2. d. 6. q. 4. puncto 3. aëns esse passim receptam, Azor, Lessius lib. 4. de jure & justitia, cap. 3. num. 117. Zumel, Laymannus, Vasquez 1. 2. d. 108. cap. 2. ubi alios refert, & addit contrariam sententiam plerisque nostri temporis doctoribus videri improbabilem. Fundamentum hujus sententiae eò tandem reducit, quòd semper sit morale periculum consensus, nisi voluntas conetur resistere. Ait tamen Sanchez sufficere, si formalem illius delectationis, displicentiam excitet, quæ licet sit inefficax ad reprimendum actum appetitus, est tamen efficax ad cohibendum liberum voluntatis consensum; & contrarium, inquit hi auctores, præsumptioni & nimia de se confidentiae merito tribueretur. Præterea addit Sanchez & rectè, etiam positâ illâ

Ratio est, quia semper hic in re tenetur periculum consensus.

displicentiâ, si nihilominus timeatur alius effectus malus, tenetur quis ulterius novo titulo actum ipsum appetitus reprimere.

SECTIO QUARTA.

De morosis delectationibus.

NOTANDUM cum Sanchez lib. 1. in decalogum, cap. 2. & communi omnium sententiâ, deduciturque ex S. Thoma 1. 2. q. 74. art. 6. ad tertium, nomen delectationis morosae non desumi à morâ temporis, cum vel momento perfici possit, sicut alia peccata: sed per morosam delectationem intelligimus plenam ac deliberatam acceptationem delectationis de opere malo, seu liberum consensum ad illam habendam, etiam si habeat voluntatem opus ipsum non patrândi. Quæstio itaque præfens est an hujusmodi delectatio deliberata, de objecto mortaliter malo sit peccatum mortale.

I. Quid morosa delectationis nomen intelligatur.

Dicendum primò: delectari hoc modo de opere aliquo malo, non prout malum est, sed sub aliqua alia ratione, non est mortale: ita omnes communiter. Ratio est, quia hic actus ex modo tendendi non fertur in malitiam, sed tendit in actum illum sub alia ratione: quare hujusmodi effectus non excludit poenitentiam & retractationem operis mali. Sic complacere de furto exempli gratiâ, ut artificiosè vel ingeniosè factò, & similibus, non est peccatum. Unde & viros bonos passim videmus horum narratione delectari, & iis auditis ridere; qui tamen ut peccata sunt eadem maximè detestantur.

II. Delectari de furto gravi, non ut furum est, sed ut artificiosè factum, non est mortale.

Dicendum secundò: quidquid sit de delectatione alicujus operis vel objecti mali, de quo statim, non tamen esse peccatum mortale per se loquendo delectari in cogitatione rei alicujus etiam mortaliter male: ita S. Thomas citatus art. 8. & omnes communiter; ut si quis v. g. delectetur de subtili speculatione rei male, studii causa: sicut etiam si delectetur in pulchrâ & artificiosâ imagine rei male. Ratio est quia hæc non est delectatio de re ipsa mala, saltem tanquam de objecto directo & principali, sed de alio, ab illa planè distincto. Sic passim delectamur spectando in imaginibus ad vivum expressam Christi passionem, ac tormenta martyrum, & eò magis, quò artificiosius fuerint adumbrata.

III. Delectari studii causa, de cogitatione, seu subtili speculatione rei mortalis, non est per se loquendo mortale.

Dixi non esse peccatum mortale, si enim quis merè ob curiositatem, vel sine ullo honesto fine delectari in cogitatione rei alicujus male vellet, peccaret venialiter: dixi etiam per se loquendo: si enim hinc oriretur periculum consensus in perpetrationem vel delectationem rei ipsius male, vel alterius mali effectus, teneretur sub peccato desistere, juxta dicta sectione præcedente.

IV. Possit tamen in hujusmodi speculatione esse peccatum veniale.

Hic tamen abstraho ab opinionibus philosophicis; qui enim asserunt nihil delectare posse nisi ipsum directè etiam cognoscatur, dicent in præfenti semper quando quis delectatur de hujusmodi cogitatione, dari aliam super eam reflectentem, sicut in materia de beatitudine cum Patre Vasquez ibidem, d. 15. cap. 4. num. 20. & aliis diximus de delectatione, quam beati habent, non de Deo solo, seu beatitudine objectiva, sed de ipsa etiam visione, seu formali. Alii nihilominus volunt non esse necessariam hujusmodi cogitationem reflexam, sed ipsum actum studii, prout directè terminatur ad objectum illud extrinsecum, indirectè & virtuali quadam

V. Non videtur multum necessarium ut delectatio super habeat reflectentem, sed ipsam cogitationem directè virtuatiter reflectere supra se.



quadam reflexione terminari aiunt ad se. Licet vero objectum directum sit objectum malum, vel etiam subinde turpe, non tamen delectatur quis in eo ut malum & turpe est, seu capiendo voluptatem ex imaginaria illius presentia, quod malum semper & peccatum est, sed eodem modo in eo delectatur, ac delectaretur in quacumque alia re honesta, aut indifferente, imò etiam chimerica, nec alio modo in objecto illo delectatur, quam quod speculando rei difficilis solutionem invenerit.

SECTIO QUINTA.

Morosa delectationis malitia ulterius declaratur.

I. De objecto malo ut malo morose delectari est peccatum.

Aliqui hoc non in objectu malum praevidere referunt, sed in malum tendendi horum actuum.

II. Quod de delectatione dictum est, dicti suo modo debet de displicentia.

DICENDUM tertio: delectatio morosa de malo ut malo semper est peccatum; & hoc sensu verum est quod affirmant multi, delectationem morosam sumere speciem seu malitiam ab objecto. Probatur, nam malum est amare objectum malum, unde Osee 9, v. 10. dicitur, Facti sunt abominabiles, sicut ea quae dilexerunt: & Proverb. 2, v. 14. Exultant in rebus pessimis: non tamen caret fundamento quod ait Vasquez & alii, hos actus esse malos, non praecise ab objecto, sed ex peculiari modo tendendi actuum, nempe cum quadam reduplicatione, seu explicitè sub hac vel illa ratione &c. Videt quis exempli gratia mortem esse privationem vitae & commodorum omnium, quae hic hominibus contingunt, videt praeterea esse ereptionem à malis, item mortem alicujus sibi esse utilem, actus, licet in re feratur in haec omnia ex parte objecti, seu materialiter, & specificativè, ut aiunt, potest esse vel bonus vel malus, secundum diversum modum tendendi, & reduplicationes varias quas facit.

Dicendum quarto: quae de morosa delectatione in objecto, quod per se placet, dicta sunt, dici etiam debent de displicentia morosa rei difficilis. Unde non est per se loquendo, & secluso periculo consensus peccatum mortale displicere nonnihil de

jejunio praeccepto, in quantum res molesta & difficilis est, hoc enim non est displicere de re ut praeccepta, sed ut molesta.

Dicendum quinto: omnis voluntas efficax rei male mortaliter, ut talis praevisa, est mortalis. Ratio est, quia cum velit ut objectum ponatur à parte rei, vult etiam necessarid, saltem interpretativè omne illud sine quo nequit existere, & consequenter illud totum est ei voluntarium, sicque à toto illo objecto haurit actus malitiam.

Dicendum sexto: idem iudicium ferendum esse de aliis quibusdam actibus, qui licet absolute efficaces non sint, aliquo modo nihilominus tendunt ad executionem, quales sunt actus quidam conditionati, ut voluntas quam quis haberet furandi, nisi esset periculum incurrendi poenas à lege humana praescriptas, & similes.

Dicendum septimo: complacentiam efficacem de malo, seu gaudere quod quis opus aliquod sceleratum perfecit, est mortale. Ratio est, quia talis complacentia in prudenti hominum iudicio aequiparatur voluntati efficax de opere perpetrando, & excludit efficacem illius retractationem ac poenitentiam.

Dicendum octavo: non semper esse peccatum mortale delectari in objecto aliquo malo. Hoc communiter ab omnibus dici solet in delectatione morosa exempli gratia, comedendi carnes in quadragesima, tum quia potest praescindere à quadragesima & praeccepto contrario, tum quia hoc & alia hujusmodi non ita rapere solent, ut inducant in periculum consensus, quod si facerent, teneretur quis desistere: quare communiter omnes docent delectationem morosam in rebus veneris extra statum matrimonii esse peccatum mortale, ob vehementiam scilicet & malos motus, quos excitat, & effectus malos quos causat: quod similiter dicendum de sponsis de futuro, & viduis, respectu actuum conjugaliùm, praetitorum vel futurorum, licet Lorca & alii nonnulli affirmant contrarium. Et haec de istis sufficiant. Videatur Vasquez l. 2. d. III. & Sanchez lib. 1. in decalogum cap. 2. qui praeter ceteros fuisse haec, & exactè tractant.

III. Voluntas omnis efficax rei mortaliter male praevisa, est mortalis.

IV. Actus etiam quidam conditionati sunt mortaliter mali.

V. Gaudere efficaciter quod quia talis complacentia, est malum.

VI. De omni objecto malo delectari non semper est mortale, ut de comedenda carne carniùm in Quadragesima.

Aliud est de delectatione morosa in rebus veneris.

